IN SEPTIMO ITALORUM SAPIENTIUM CONVENTU

NEAPOLI CELEBRATO

ANTONII MIRABELLI

CARMEN



NEAPOLI
EX TYPIS JANUARII AGRELLII.
MDCCCXLV.

Google

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMO VIRO

EQUITI NICOLAO SANTANGELO

FERDINANDI II. P. F. A.

IN INTERIORIBUS REGNI NEGOTIIS

ADMINISTRO

LITTERARUM BONARUMQUE ARTIUM

OPTIMO AESTIMATORI

ET CULTORI PRAESTANTISSIMO

SEPTIMI ITALORUM SAPIENTIUM CONVENTUS

PRAESIDI

ANTONIUS MIRABELLI

IN GRATI ANIMI MONUMENTUM

D. D. D.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMEN

I.

Adventu commota novo dum candida Siren
Adplaudit, dum tota ruit de sedibus imis
Excita visendi studio, et venientibus offert
Jucunda hospitia, et festos indicit honores,
Numne tacere sinam segnis mea carmina? numne
Otia lenta traham, et jucundo pectora motu
Nequicquam exiluere? Et jam Leo fundere flammas
Desiit, ignivomo gradiens furibundus hiatu,
Et lenes Zephyri redeunt, et mobile frigus
Languentes recreat vires, animosque ministrat.
Eloquar: halantes divinis floribus hortos,
Hortos quos ver perpetuum et levis aura Favoni
Semper alit, semper coelesti nectare pascit,
Ingrediar; lecta texam de fronde coronas,
Compita perfundens, sertisque recentibus ornans.

Digitized by Google

At vos, ilustres animae, vos gloria maior
Italici ingenii, queis coelo laudibus aequem?
Quo sermone morer? Vobis rex aetheris alti
Pingue solum fugere et vulgares spernere coetus
Largitur; Vobis stimulante cupidine veri
Nosse dedit causas et prima exordia rerum,
Natura monstrante viam, atque arcana docente.
Vesvius ecce suos praerupto in vertice motus
Continuit, neque jam flammis undantia jactat
Sulphura, nec picea texit ferrugine coelum,
Emendaturus commissa piacula culpae
Et Plinii mortem innocui, vestrisque ruinas
Illatas studiis. Summo vix leniter ore
Flammula purpureo ridet pulcherrima nimbo,
Invitatque viros summa ad fastigia montis.
Namquae digna feram vestro mea munera caetu?

2.

Salve, magna Virûm genitrix Hetruria; salve
Fundatrix magna Italiae; salvete sonantes
Tot titulis urbes, et opimae nomine famae.
Quae virtus? quisnam vestris Deus incolit oris?
Certe habitat Deus. Ah! romana potentia nondum
Aequarat coelum, nec dum Capitolia frontem
Extulerant, lato pollens Hetruria regno
Florebat; munita situ, turritaque jactans
Moenia, bissenas jungens in foedera gentes

Ipsa sacros ritus Divûm, et primordia veri
Romulidas docuit priscos: hinc maxima Roma
Praetextam et latum clavum fascesque severos
Arripuit, pacisque modos artesque ministras.
Atque ubi terribili commovit cuncta tumultu
Horrida barbaries densa circumdata nocte,
Fas omne abrumpens, Hetrusco e limine rursus
Emicuit jubar; effusae fugere tenebrae,
Dum sacro passim excuteret regna itala cantu
Magnanimus vates thusca depulsus ab urbe.
« Impiger, iracundus, inexorabilis, acer »
Errabat, tria regua canens, regna invia vivis,
Crimina quo, poenas, quo virtus, praemia spargens.
Attonitae circum gentes stupuere canentem,
Europamque omnem invasit sacer ignis, ubique
Barbaricos pellens inopino lumine mores.
Unde per italicas vox primum personat oras,
Vox segnes animos turpi motura veterno,
Ut quibus una foret patriae cura, una loquela,
Unus amor primas Naturae agnoscere leges,
Conveniant, socias aucturi lumine mentes?
Ecce iterum Hetruscis lux itala venit ab oris;
Magnanimus Princeps, quem thuscae plausibus urbes
Excipiunt, populique vocant patremque ducemque,
Indixit primos pisano in littore coetus.

3.

Septima jam laetis fulget splendoribus aestas
Et delecta phalanx riguas Sebethos ad undas
Deproperat, nostrasque manet nova gloria terras.
Hic primum rigidi quaesivit lumina veri
Pithagoras, sophiamque polo descendere vidit;
Hic primas leges, Themidisque oracla Carondas
Sanxit, barbaricos audens expellere mores.
Hic primum servile jugum disrumpere volvit
Spartacus, oppressosque vocans in praelia fratres
Exeivit: pulchra pro libertate cucurrit
Italia, ad bellum sociali concita motu.
Hic primum, expulsa rerum caligine, mentes
Excussit Thomas: coelesti lumine fulsit
Aeternis Sophiae totum splendoribus orbem
Illustrans. Quo te, Thelesi? Quo, Brune, relinquam,
Teque Styli senior? quanquam malesana potestas
Ingenii recto dejectos tramite passim
Egit praecipites. Viridanti tempora lauro
Syncerus praecingit adhuc, et grandior umbra
Pontani circumque nemus collesque peragrans,
Antiniana, tuos, stellarum cantat amores.
Nec vos indictas jucundo carmine linquam,
O surrentinae valles et amoena vireta,
Qua domus est sanctis Torquati cognita Musis;
Nec te qui florens clivo laetaris amoeno,
Pausylipe, et magni servas sacra ossa Maronis.

Salve, iterum salve, venerabilis urna: virenti
Frondescat laurus ramo, rosa spiret odores
Perpetuos. Quemnam magnis tot honoribus auctum
Adspicio? Ipse viros humeris supereminet omnes,
Atque omnes studio ingenti et clamore secundo
Adplaudunt. Tu, Vice Parens, quem maxima curru
Gloria sublimi raptum per inania vectat;
Ipsa suos partus stupuit Saturnia tellus.

4.

Quod si tangit amor veterum vestigia rerum
Visere, nulla quidem toto plaga ditior orbe.
Hic cinere absterso et vultus induta priores
Pompeium surgit; cernis strepere undique turbis
Amphitheatralem molem, fora, compita, portus.
Nec procul eiectam semiusto ab littore frontem
Herchlys sustollit gaudens, gazamque repostam
Et vasa et statuas et scripta volumina monstrat.
Fas ipsas peragrare urbes, fas templa domosque
Cernere, jamque vides patefactis surgere saxis
Priscos heroas, notasque audire loquelas.
Parte alia Baiis late praelucet amoenis
Praedulcis statio, celebrataque littora jactat
Laudatasque undas ; vitreis consurgere arenis
Cernis adhuc moles, aequata palatia coelo,
Romulidasque feros, post horrida bella peracta,
Ludere discinctos, et laetos condere soles.

Digitized by Google

Lucrinas hinc cernis aquas, hinc gurgite lento
Tartareos errare lacus, lucescere sole
Purpureo Elysios colles et Apollinis aedes
Laurigero in nemore, et castae secreta Sybillae
Qua quondam Aeneas pietate insignis et armis
Damnatas visit sedes, et valle reducta
Illustres animas romanum in nomen ituras.
Contra elatus humo, toti supereminet orae
Ingens Vesevus: coelo capita ardua tollens
Flammantesque humeros, qualis custodia pernox
Subiectam servat vallem; nunc concipit iras
Innocuas luditque senex; super ignis inerrat
Parvulus, et placidas circum discriminat auras.
Nunc veteris memor imperii nova damna minatur
Internisque furit specubus ruptisque caminis
Grassatur, flammaeque globos et saxa volutans.
Nempe sacra est tellus; qua vertis lumina cumque,
Natura inspersit rerum miracula: saxo
Scripta vides omni veterum vestigia avorum.

5.

Ceu nova mox Virgo juveni ducenda marito
Pulchra oculos et pulchra comas et luce juventae
Purpurea, late cunctis praelata puellis;
Talis laeta novis titulis cultuque recenti
Siren italicas inter caput exerit urbes.
Non ego commemorem praecelsa palatia, et urbis

Concelebrata fora et templa et strata viarum.
MAGNANIMUS PRINCEPS patrio complexus amore
Quolibet ornatam jussit splendescere cultu.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine cerne
Tectum augustum, ingens, sanctis penetralia Musis.
Haud quidquam vidit praesens augustius aetas.
Hic propria circum fulgens Sapientia sede
Si melius quicquam, Europa collegit ab omni,
Disponens doctos spatiosa per atria libros.
Hic quid quid dulces invenit Musa per artes,
Invenies. Si quis naturam viribus aequat
Ingenii pingens, si quis spirantia signa
Excudit, famam videt increbrescere saeclo.
Quid referam, ut vario circum conamine gazas
Injecto cinere effossas, haec colligit aula?
Herclanae statuae Nolanaque vasa, nitetque
Pompejana auro mire coelata supellex.
Spirat adhuc, et adhuc nostra sacer ignis in urbe
Aestuat, illustres olim qui fecit ubique
Mazochios Lupulosque. Tibi si tanta cupido,
Tantus amor nostram veterum cognoscere curam,
Succedes tecto gratissimus hospes amico,
Pocula ubi tabulasque, vetusta numismata et aera
Undique collegit studio Santangelus omni,
Incenditque animum antiquae virtutis amore.
Nec vestras taceam curas, vestrosque labores,
Magnanimi heroes, qui laetum ducitis aevum
Quaerentes studio vigili atque indagine mira

Naturam semper fugientem, lumina vultus
Quae vix ostendit, facies in mille repente
Ceu Proteus mutata, fugit, luditque sequentes.
Tres aulae patuere, tribus sacraria regnis.
Hic saxa et scopulos, rupesque et inhospita tesqua,
Quotque metalliferis tellus generosa fodinis
Condit opes, propria cernis requiescere sede.
Hic vario cernis languentia corpora morbo
Monstrososque hominum partus numeroque modoque,
Exanguesque artus, effoetaque viscera, quando
Morbida vis anxit tristi sublapsa veneno.
Hic animal, genus omne, vides, quot daedala tellus,
Quot vitrea nutrit genitalis Crater in unda,
Quot volucres pennis stridentibus aethera findunt.
Nec procul hinc laetus secessu surgit amoeno
Hortus, ubi omnigenis opifex natura relucet
Floribus, omnigenis herbis. Revirescere cernis
Innumeras passim plantas, quas mollibus undis
Educunt Charites, quas lene tepentibus alis
Suaveolens mulcet Zephyrus: sortita decenter
Singula quaeque locum tenuere, et spiritus unus
Vis una intus alit, concordi pace, bibuntque
Aëris ambrosium laticem, et spirabile lumen.
Scilicet ipsa potens florum Regina, nitenti
Quae ridens solio, et viridi praecincta corona,
Artis opus graecae, Musarum affulget in aula;
Cui lateri Pallas citharaeque inventor Apollo,
Ante pedes variis cui picta coloribus ara

Emicat, heroum narrans facta inclyta; spirat
Darius, mollesque refert in praelia luxus,
Spirat Alexander, stimulatque in praelia turmas
Victor, postgenitos urgens ad grandia reges;
Ipsa potens Dea nempe suo quae commovet ore
Naturam, Phoebique sacros accendit alumnos
Naturae veras imitando vincere formas,
Dirigit ipsa manum, mentem movet ipsa Tenori.
Felices Florae partus! nec Sirius ardor,
Nec Boreas gelido contristans frigore campos,
Horrida nec grando vestros conturbet amores.
Quod si aliquae, procul hinc, longa regione locorum
Advectae indolcant, si quando cura recurrit
Sub noctem, et coeli tangit vos cura paterni,
Ne fugite hospitium, nostrum ne spernite coelum;
Anne alia in terris mage ridet amabilis ora?

Serus ubi jam caeruleis se tollit ab undis
Vesper, et in coelum surgentia sidera ducit,
Praecelsa e specula vastum percurrere olympum,
Metirique licet lucentes aetheris ignes.
Quot mens audacis Portae, qui, fervidus acri
Ingenio, primus Naturae indicere leges
Atque novos oculos humanae adponere fronti
Ausit; quot Galilevs, mediceae gloria gentis,
Qui terra evolitans supera ad convexa Jovique
Adjunxit comites, nebulosaque comperit astra,
Et plures mundos stellata inspexit in aula
Circumagi, Solemque throno radiare micante

Immotum; mira quot Torricellius arte
Aeris effectus varios, et semina prima
Assuetus lustrare, grave et perpendere pondus,
Quotque alii, flammans quos vexit ad aethera virtus,
Instrumenta dedere, tibi composta patebunt
Omnia et aethereas poteris volitare per oras.
Et quod nusquam aliis certe mirabere terris,
Vescvi ad cautes, saxo fundata rigenti
Est specula, unde queas Vulcani cernere motus,
Et speciem electri variam, et magnetica circum
Prodigia, et monti quianam circumfluus aer
Nunc tonitru mugit, nunc crebris ignibus ardet.

Adspicis hanc molem? haec tecta elata sub auras?
Haec domus Harmoniae, haec sedes addicta choreis.
Hic senior Cimarosa, hic et Paisellius ingens
Effudere sacros divino e pectore cantus.
Mulcet adhuc animos, et adhuc symphonia discors
Excita festivis concentibus aëra pulsat.
Admiranda vides rerum spectacula, scenas,
Pulpita, solemni caveam molimine structam,
Regis opus, mentisque in publica commoda natae.

Si lacrymae rerum, et mentem mortalia tangunt,
Te pius expectat sancto de nomine campus.
Est molli positus clivo placidissimus hortus,
Nec quaequam tota statio formosior ora,
Ridet ubi tellus, rident mare, sidera, coelum.
Adsurgunt passim vario de marmore saxa,
Et molles violae circum, et testantia florem

Lylia Virgineum; ramosaque brachia flectens
Lenta salix loculos ingenti protegit umbra.
Praesidet ipsa potens Virgo cui lancea pectus
Transadigit, cui mille patent in fronte dolores.
At Fratrum pia turba gemit, cineresque sepultos
Solatur, pacem et felicia sidera poscens.
Quid quid ubique recens mirabile protulit aetas,
Omne hic invenies. Per amica silentia noctis
Compita si lustras, cernis lucere serena
Luce diem referente novum, varioque meatu
Inductus liquor irriguus per compita circum
Discurrit, lustratque domos; vix claustra relaxas,
Emicuit jubar, effusae fugere tenebrae.
Si Stabias placet ire, vagis loca consita rivis,
Qua mistam cineri pluviam ejectante Vesevo
Occubuit Plinius, tantum generosa cupido
Quidlibet audendi valuit, si magna voluptas
Pulchra Casertanae miracula visere terrae,
Laudatasque undas, augustaque limina Regum,
Atque superstructos centeno fornice pontes,
Vallibus umbriferis circum, te ferrea cursu
Semita fert rapido; diffusis currit habenis
Machina fumiferam anteferens ad sidera nubem,
Praecipitesque trahit secum per strata rotarum
Ferrea multiplices currus; rapi et ipse videris,
Succurruntque animo foedae miracla novercae
Thessala, cum aligero circum subvecta dracone
Aesonias iras humilis non foemina sprevit.

Quod si stellifero veniat nox splendida peplo,
Defessum curis aut candida Mergelline
Aut te regifico recreabit Olympia luxu.
Dum Capreae infames scopulos, spumantibus undis
Innare aspectas, et circum lumine rident
Perpetuo Stabiae, peramoenaque littora rident,
Dum vaga nocturnas meditatur in axe choreas
Cynthia, dum celeres tranquilla per alta carinae
Certatim volitant, si regia villula laeto
Ceperit hospitio, et circum modulamine suavi
Audis Harmoniae centum resonare ministros;
Non dices hic Elysios ridere beatos?
Cuncta tacent, urbem somno lusuque jacentem
Santeramus pater ingenti complectitur umbra;
Cuncta tacent: sed Musaeo saturata lepore
Aura sonat, tuque aethereas translatus in oras,
Divino langues absorptus vortice amoris.

6.

Saepe mihi ante oculos, dum nox circumlita stellis
Anxia tardipedes urget per inane quadrigas,
Saepe mihi ante oculos mulier pulcherrima venit.
Hem! qualis quantusque decor! quae gratia in ore!
Qui gravis incessus! roseo quae lumine flamma!
Quanta sedens capiti fluitat per candida colla
Caesaries! qualis vestis circumdatur artus,
Ostro auroque rigens, variisque notata figuris.

Hinc atque hinc lateri sacro glomeratur in orbem
Obsequiosa cohors, pendetque loquentis ab ore.
Eloquere, o Regina potens; nos thura precesque
Porrigere, et medio tua pectore figere dicta.
Fallor? an illustri verum sub imagine ludit?
Non fallor, non mente feror: tu maxima nempe
Filia, quot rerum Genitor primo impete amoris
Condidit, insueto donans splendescere risu,
Italia, o quondam coelo gratissima tellus,
Nata omnes populos patria ditione tenere,
Centum urbes, centum complexa nitentia regna,
Marte potens, animisque potens, ceu lampade fulgens
Lucifer auricoma, primi sub lumina solis,
Nata sacris lustrare omnem splendoribus orbem.
Scilicet haec Olli imposuit Rex aetheris alti:
Illa animis ingens, ingens virtutibus audet
Insolitam tranare viam, atque facessere jussa.
Impavidos fremere arma viros, fremere arma phalanges
Audiit, hostili rorantes sanguine turmas
Belligerasque aquilas totum procurrere in orbem
Vidit, et obstupuit, gelida formidine gentes
Excussas, Romae imperio parere minores.
Ast ubi prima mali labes mortalibus aegris
Abluta, et superas sonuit vox missa per auras,
Hic primum Summus conscendit templa Sacerdos
Undique sparsurus sacri praeconia Verbi.
Quae nempe armisonas glomerans in bella cohortes
Viribus imperii cunctas tremefecerat oras,

Haec eadem cunctas in dulcia vincula gentes
Composuit legesque dedit; ceu fonte perenni,
Prosilit illimis rivus placidissimus undis,
Qua cupidae veniunt extremo e littore gentes
Eluere infectum crimen, Coelique potentem
Clavigerum adspicere et notas audire loquelas.
At nunc quid video? tristi circumvolat umbra
Nox laetos oculos, et luctus plurima imago.
Jam nec ego sperem, quod longo concita somno,
Magna Parens, iterum surgas, et fronte serena
Matronalis honos, nativaque purpura laetis
Interfusa genis redeat. Tria saecula currunt,
Cum illustres animae, supero gens edita caelo,
Defuerunt, dumque immani staut vincta veterno
Lumina, per venas serpit furiale venenum,
Infectisque animis sacros depascitur artus
Insidians, languet vitalis spiritus ignis.
Ah miseri! ah segnes! nugas sectamur inanes.
Hic molles excors choreas, lascivaque quaerit
Otia luxurians; hic sexquipedalia verba
Proicit, et captus jucundo murmure linguae
Occupat italicam per mille crepundia pubem;
Ille humili se tollit humo, sed inania captans
Nubila, teutonicae sectatur somnia mentis.
Ah! nusquam his curis, nusquam praeclara parentum
Mens his incaluit studiis: sed fortia corda,
Sed validae mentes, sed rebus notus in arctis
Dius amor patriae et magnis fiducia rebus.

Sic amplus virtutis honos, sic debita dextris
Gloria, et Imperium cunctas manavit in oras
Pro vi, pro patria, pro Relligionis honore.

7.

Olim barbaricis dum late vincta tenebris
Saecula languebant, tantas concurrere turbas
Visum iterum, caetuquo choros celebrare frequenti,
Aut ubi olympiacae quaerentes praemia palmae
Miscebant unctis certamina saeva palaestris,
Aut ubi Roma potens Capitolia ad alta vocabat
Rite triumphantes, titulosque atque oppida circum
Cernere erat, vinctosque minacia colla tyrannos
Figere humi lumen, tristesque efflere ruinas.
Dum regnant vires, populis spectacula surgunt
Crura, lacertorumque tori et praecordia firma;
Dum regnant animi, cernis concurrere ab omni
Italia coetus, pulchri verique ministros,
Et doctos celebrare choros, et laeta per urbes
Orgia, nequicquam pedibus temeranda profanis.
Scilicet arcano quae humeros circumdata peplo
Mortales raro dignatur visere caetus
Omniparens Natura, novos studiosa recludet
Thesauros, pulchraque offert se luce videndam,
Candida subcingens tenuis velamina vestis,
Nuda pedes, et nuda sinus et Virginis ora.
Sed si cura tenet gentes praestare beatas,

Digitized by Google

Quid rerum exterior vultus, sensusque sagacis
Ingenii curas solerti indagine poscit?
Ergone terrenos artus, moribundaque membra
Aethereosque astrorum orbes, vitasque volantum,
Et quae marmoreo fert monstra sub aequore pontus,
Quaerere certatim mira conabimur arte
Et studio ingenti: divinae semina flammae
Particulamque aurae patimur languescere somno,
Humanosque animos saevis aegrescere morbis?
Corpora curantur, nullo curatur honore
Mens animique ingens vigor et coelestis origo?
Mutatis vicibus, mundanam visere molem
Et caussas lustrare juvet, quî funditus omnes
Corporeae excedant pestes, morbisque fugatis
Flore novo niteat mortales vita per artus?
Quis paribus studiis certet, quî spiritus aeger
Concretas tergat sordes, purumque resumat
Aetherium sensum atque aurai simplicis ignem?
Maxime divini qui custos luminis, uni
In terris cui summa fuit commissa facultas,
Pulsatis umbris, solem revocare nitentem,
Auspice quo primum toto regnavit in orbe
Spiritus, immani jacuit sub compede sensus,
Tolle, Pater, vocem Capitolî e vertice: sensus
Omnia pervasit, contactuque omnia foedo
Polluit: ecce iterum misero circumdata coeno
Materies hebetat mentes, caligine densa
Mortalem obnubens visum, terrenaque membra

Aetherium semen miserando pondere tardant.
Eja, Pater, mentes variis erroribus actas
Dirige: tuque iterum securo in tramite siste.
Hic primus labor, haec primae fundamina molis.
Nobilibus curis formentur corda: severis
Assuescant studiis juvenes, caligine pulsa
Extollant vocem veri pulchrique ministri;
Si mansura manet nomen per saecula, noscat
Italia et morbos et quae medicamina morbis.
Ecquando Sophiam, attactu quae innoxia nulli
Pestiferique timens flatus contagia, viles
Despiciens turbas, patrium remeavit olympum,
Ecquando repetet candenti tegmine amicta
Languentes terras, visetque altaria, foedum!
Polluta, et sacris meritos sibi poscet honores?
Ecquando castas in foedera sancta Camoenas
Pollutas quae auras, pollutaque regna profanis
Conturbata odiis, visae per inania curru
Ilicet effugere, amplexusque timere profanos,
Virgineam decoris formam, lumenque juventae
Purpureum ostendent terris, et murmure dulci,
Et placidae italicis resonant concentibus aurae?

8.

O nimium dilecta Deo, praelataque longe
Progenies, suetaeque diu ad sublimia mentes,
Dum vos ingenti studio et clamore secundo

Digitized by Google

Circumstant populi, dum vobis itala tellus
Sollennes agitat pompas, eia ite per urbes
Ausoniae, antiquo mentes excite veterno.
Ah! pereat, si quis captus furialibus ausis
Audeat ancipitis causas innectere belli,
Resque animis agitare novas, populosque ciere
Innocuos, dudum jucunda pace fruentes.
Pax diam frontem viridi redimita corona
Italicas urbes risu foecundet amico.
Dum sancto exhilarat nexu Concordia gentes,
Ite agite, et populi vestrae decora inclyta famae
Accipiant: vestro forsan (quis noverit?) ore
Scintillae erumpent, quae vasta incendia ubique
Excieant, segnesque vocent ad magna nepotes.
O pars Italiae melior, si rebus agendis
Mentem animumque sagax vobis sapientia format,
Si clarum nomen vobis generosa cupido
Inscribi statuis, Vobis concredita fata
Italiae, antiquos per Vos adsumat honores.
Si fuimus quondam, titulos servamus aviti
Imperii; pubes tumefacta superbiat ausu
Ingeniosa novo. Si prima exordia rerum
Abstulit hinc Orbis, rursus miracula mentis
Italicae stupeat; rursus monumenta vetustae
Miretur dominae, saeclis decora alta futuris.

VA1
1512967